AURELII AUGUSTINI MILLIARII ... EX LIB. 1. INSTITUTIONUM JURIS CIVILIS A IUSTINIANO...

Aurelio Agostino Miari

AURELII AUGUSTINI MILLIARII

IN ARCHIGYMNASIO ROMANO

Pandectarum Publici Interpretis

SELECTORUM

Ex lib. I. Inſtitutionum Juris Civilis

A Iuſtiniano Cæſare editarum

COMPENDIOSA EXPLICATIO.

De Juſtitia, & Jure.

TITULUS PRIMUS.

JUſtitiam philoſophi duplicem eſſe tradunt: univerſalem unam, particularem alteram. De univerſali, quæ omnes virtutes complectitur, non loquitur hic Juſtinianus, ſed de particulari, quæ una virtutum eſt, eamque ſic definit: Juſtitia eſt conſtans, & perpetua voluntas jus ſuum cuique tribuendi. Hoc eſt, Juſtitia eſt habitus animi, quo conſtanter, & perpetuò, jus ſuum cuique tribuere volumus. Huic definitioni non obſtat, quod nihil ſit ſtabile inter homines, A. de non alienandis *cap.* 2. Quia, licèt homo quandoque alterum lædat, non tamen propter hoc Juſtitia mutatur, ſed mutatur ipſemet homo, qui recedit à via, quam ei conſtanter, & perpetuò dictat Juſtitia.

Ad §. Jurisprudentia.

JUrisprudentia est divinarum, atque humanarum rerum notitia, justi atque injusti scientia. Dicitur divinarum, atque humanarum rerum notitia, hoc est, notitia publici & privati Juris, quorum illud in divinis rebus, idest, sacris, sacerdotibus, & magistratibus, hoc in humanis, quæ ad singulorum utilitatem pertinent, consistit, *l.* 1. §. *hujus studii ff. de Iust. & Iur.* Dicitur justi atque injusti scientia. Quoniam Jurisprudentia in utroque Jure publico, & privato, æquum a b iniquo separat, & licitum ab illicito secernit, *dicta l.* 1.

Ad §. Jurispræcepta.

JUrispræcepta tria sunt: Honestè vivere, alterumnon lædere, suum cuique tribuere. Quorum primum prudentem ipsum respicit, cętera alios. Et animadvertite, quod hæc sunt Jurispræcepta universalia. Nàm alias particularia sunt penè infinita.

Ad §. Hujus studii.

HUjus studii duæ sunt partes, sive species, Publicum, & Privatum. Publicum Jus est, quod ad statum Rei Romanæ principaliter spectat. Privatum, quod singulorum civium utilitatem principaliter respicit. Publicum jus in sacris, sacerdotibus, & magistratibus consistit, ut suprà dictum est. Privatum verò, de quo acturi sumus, tripartitum est: collectum est enim ex naturalibus præceptis, aut gentium, aut civilibus.

De Jure naturali, gentium, & Civili.

TITULUS SECUNDUS.

JUs naturale eſt, quod natura omnia animalia docuit. Exemplificatur jus naturale in maris, & fœminæ conjunctione, quam nos matrimonium appellamus, & in liberorum procreatione, atque educatione. Nonſolùm enim homines, ſed cętera quoque animalia inſtinctu quodam naturali trahuntur ad conjunctionem, liberorumque procreationem, & educationem, ſed inſtinctus, quem habent à natura bruta animantia, quique hominibus quoque communis eſt, jus in nobis dicitur naturale, quia cum ratione agimus ea, quæ bruta animantia ſolo faciunt inſtinctu, qui propterea in eis impropriè jus appellatur.

Ad §. Jus autem Civile, cum §. ſeq.

JUs gentium eſt, quod naturalis ratio inter omnes homines conſtituit. Jus verò civile, quod quiſque populus ipſe ſibi conſtituit. Unde ſequitur, quod multa ſint jura civilia ſicuti multæ ſunt Civitates, & ideò ut jus unum civile ab alio diſtinguatur, unumquodque jus civile ex unaquaque Civitate appellatur, v. g. Jus, quo Athenienſes utuntur, jus civile Athenienſium dicitur, & jus, quo Romanus Populus utitur, jus civile Romanorum appellatur, & quoties juris civilis ſimpliciter mentio fit, non addito nomine alicujus Civitatis, per excellentiam jus civile Romanorum ſignificatur. Jus autem gentium unum eſt omnibus hominibus commune, nec recipit aliquam ſpecialem appellationem. Juris gentium ſunt bella, captivitates, ſervitutes, & omnes penè contractus.

Ad §. Conſtat eutem, cum pluribus ſequentibus.

Conſtat autem jus noſtrum, aut ex ſcripto, aut ex non ſcripto. Et ſcriptum jus ſubdividitur in ſex ſpecies, quarum prima dicitur lex, & ſic definitur. Lex eſt, quod Populus Romanus Senatorio Magiſtratu interrogante, veluti Conſule, conſtituebat. §. *lex eſt h.t.* Antequam enim cura Reipublicæ ad Senatum eſſet deducta, lex ab univerſo Populo, Senatorio Magiſtratu interrogante, conſtituebatur.

Secunda ſpecies juris ſcripti eſt Plebiſcitum, quod ſic definitur. Plebiſcitum eſt, quod Plebs, plebeio magiſtratu interrogante, veluti Tribuno, conſtituebat. Plebs autem à Populo eo differt, quo ſpecies à genere: Nàm appellatione populi, univerſi cives ſignificantur connumeratis etiam Patricijs, & Senatoribus; Plebis autem appellatione, ſine Patricijs, & Senatoribus, cȩteri cives ſignificantur. Cùm igitur plebs à patribus ſeceſſiſſet, magiſtratuſque creaſſet, à Tribuno interrogata, jura ſibi conſtituebat, quæ Plebiſcita vocantur. Plebiſcita, cum ab univerſo populo non fierent, ſed à plebe, quæ pars populi eſt, legis vim non habebant, at revocata plebe, lege Hortenſia vis, atque auctoritas legum, plebiſcitis data eſt. §. *Plebiſcitum h. t. juncta l.2. §.deinde cum eſſet ff.de orig.jur.*

Tertia ſpecies juris ſcripti eſt Senatus Conſultum. Senatus Conſultum autem eſt, quod Senatus jubet atque conſtituit: Nàm cum ſucceſſu temporis Populus Romanus adeò excreuiſſet, ut facilè non poſſet ad legem condendam in unum convocari, æquum viſum fuit, Senatum vice populi conſuli: quamobrem quidquid Senatus conſtituiſſet, pro lege à populo obſervabatur. §. *Senatus Conſultum. h.t.* juncta *d.l.2.§.deinde quia difficile ff.de orig.jur.*

Quarta ſpecies juris ſcripti eſt Principis placitum, quod eſt id, quod Principi placuit. Cùm enim rebus ita dictantibus, videretur poſſe commodius Rempublicam per unum gubernari, ideò, conſtituto Principe, populus per legem

Re-

Regiam omne Imperium suum; & potestatem ei, & in eum, idest, quoad omnes Imperii honores, & onera, concessit: Quodcunque ergo Imperator per epistolam constituir, vel cognoscens decrevit, vel edicto præcepit, lex est: Hæ sunt, quæ generali nomine Constitutiones vocantur. Constitutionum autem aliæ sunt generales, aliæ speciales, seù personales. Constitutiones generales omnes Cives Romanos proculdubio tenent: personales verò, personam non egrediuntur, nec ad exemplum trahuntur. Nàm si alicui Princeps ob meritum aliquid indulsit, ad consequentiam id non pertinet, nec personam transgreditur. §. *Sed & quod Principi, h. t.*

Quinta species juriscripti consistit in Magistratuum, idest, Prætorum, & Ædilium curulium edictis. Hoc etiam jus honorarium solemus appellare, quod qui honores gerunt, idest Magistratus, auctoritatem huic juri dederunt. §. *Prætorum quoque h. t.*

Sextam, & ultimam speciem juris scripti constituunt Responsa prudentum. Sunt autem Responsa prudentum, de quibus hic, sententiæ, & opiniones eorum, quibus ab Imperatoribus jus respondendi publicè de jure datum erat. Isti autem Juris Consulti appellabantur: quorum omnium sententiæ, & opiniones, ut à Cæsare Augusto fuit constitutum, eam auctoritatem tenebant, ut Judici recedere à responso eorum non liceret. §. *Responsa prudentum h. t.* juncta *l.* 2. §. *Et ut obiter ff. de orig. jur.*

Ad §. Ex non scripto.

HActenus diximus de jure scripto, nunc de jure non scripto videamus. Est igitur jus non scriptum consuetudo, quam tacitus populi consensus diuturno usu comprobavit. Et dicitur jus non scriptum, quia consistit in usu, & non scribitur, nisi fortè ad memoriam. Sed quæritur apud *DD.* quanto temporis spacio, & quot actibus inducatur consuetudo. Ego, quia hæc nulla lege definiuntur, Judicis arbitrio relinquenda censeo. Et tales actus non debent

bent necessariò esse obtenti in contradictorio, neque judiciales esse, ut testatur *Oinot. hic sub num.6. in fine*. Cęterùm indubitati juris est, ad consuetudinem legitimè inducendam, requiri, quod ipsa consuetudo sit ratione munita, *l.Quod non 39.ff.de legibus*.

Ad §. Sed naturalia.

JUra autem naturalia semper firma, atque immutabilia permanent. Jura verò Civilia sæpè mutari solent, vel tacito consensu populi, hoc est, dessuetudine, vel alia postea lege lata.

De Jure Personarum.

TITULUS TERTIUS.

OMne jus, quo utimur, vel ad personas pertinet, vel ad res, vel ad actiones. Prius de personis videamus, nàm parum est jus nosse, si personæ, quarum causa constitutum est, ignorentur.

Prima, præcipua, & principalis divisio de jure personarum hæc est, quod omnes homines, aut liberi sunt, aut servi. Libertas autem, ex qua etiam liberi vocantur, est naturalis facultas ejus, quod cuique facere libet, nisi si quid vi, aut jure prohibeatur. Dicitur naturalis facultas ejus, quod cuique facere libet: hoc est, potestas à natura hominibus data, faciendi quæ velint. Alia verba definitionis: Nisi si quid vi, aut jure prohibeatur: hunc habent sensum, videlicèt, quod quis liber sit, etiamsi vi, aut jure quandoque prohibeatur facere quod libet.

Ad §. Servitus autem.

SErvitus autem est constitutio juris gentium, qua quis dominio alieno contra naturam subijcitur. Dicitur, con-

constitutio juris gentium : quia servitus à jure gentium fuit introducta. Dicitur, qua quis dominio alieno subijcitur: Nàm jus gentium voluit captivos dominio victoriam subijci, ita ut nec velle, nec nolle haberent, & omnia per eos acquisita statim ad dominum pertinerent. Dicitur, contra natura: Quia servitus libertati, quæ juris naturalis est, contraria est §. *Sed jus quidem Civile, vers. bella, de jur. nat. gent. & Civ.*

Ad §. Servi autem.

SErvi autem, non à serviendo, sed à servando appellati sunt, eo quod exercitus duces, captivos vendere, ac per hoc servare, non occidere solent, qui etiam mancipia dicti sunt, eo quod ab hostibus manu capiuntur.

Ad §. Penult.

SErvi autem, aut nascuntur, aut fiunt. Nascuntur ex ancillis nostris. Nàm omne quod nascitur ex re nostra, nostrum est. §. *Item ea, de rerum divis.* Fiunt v.g. ex captivitate, ut suprà. Hoc tamen non procedit inter Christianos.

Ad §. Ultimum.

INter servos quoad conditionem, seù statum nulla est differentia, licèt quoad officia alii sint viliores, alii honestiores. In liberis autem multæ sunt differentiæ, aut enim sunt ingenui, aut libertini.

De Ingenuis.

TITULUS QUARTUS.

INgenuus est is, qui statim ut natus est liber est. Et ingenuus est, non solùm qui ex duobus ingenuis matrimonio editus est, sed etiam qui ex duobus libertinis, vel

ex

ex altero ingenuo, & altero libertino. Sed & si quis ex matre nascitur libera, patre verò servo, vel incerto; ingenuus nihilominus nascitur. Et hæc ita procedunt propter juris Regulam: Partus ventrem sequitur, *l.Partum 7.C.de rei vindic.* Et sufficit ad hoc ut partus ingenuus nascatur, quod mater aliquo tempore à conceptione inclusivè usq; ad partum pariter inclusivè, libera fuerit: quoniam qui est in utero, favore libertatis, tunc pro nato habetur quando mater ejus libera est.

Ad §. Ultimum.

CUm autem ingenuus aliquis natus est, manumissio ab injusta, vel putativa servitute, non officit ejus ingenuitati. Cęterum notate, quod jure novissimo omnes homines liberi sunt ingenui, saluo tamen manumissoribus in manumissos jure patronatus. *Novella* 78.

De Libertinis.

TITULUS QUINTUS.

LIbertini sunt, qui ex justa servitute manumissi sunt. Et libertini, & liberti re idem sunt. Ea tamen est inter has duas voces differentia, quod appellatio libertorum ad patronos refertur, ac privatum quendam respectum denotat: Libertinorum verò appellatione, status, seù conditio hominum significatur.

Manumissio autem est de manu missio: idest, datio libertatis. Seù quod idem est: Manumissio est liberatio à Domini potestate. Nàm quandiu quis in servitute est, manui, & potestati dominicæ suppositus est, à qua per manumissionem liberatur, & sumpsit originem manumissio à jure gentium: Nàm, cum jure naturæ servitus esset incognita, manumissio nota esse non poterat.

Ad

Ad §. Multis autem modis.

MUltis autem modis manumissio procedit: aut enim fit ex Sacris Constitutionibus in Sacrosanctis Ecclesijs, aut vindicta apud Magistratum, aut inter amicos, aut per epistolam, aut per testamentum, aut per aliam quamlibet ultimam voluntatem, ut vobis dicam in voce. Et prætereà multis alijs modis libertas servo competere potest, quorum plerique numerantur *in l. Vnica C. de latina libert. tollen. & in Novella* 78. *cap.* 3.

Ad §. Servi verò.

MAnumissio verò potest fieri omni tempore, & quolibet loco, adeò ut etiam diebus feriatis, & in transitu Prætoris, aut Præsidis servi manumittantur. Non est enim necessè, in figura judicij, Judice pro Tribunali sedente, manumissionem expediri.

Ad §. Ultimum.

EX hoc textu notate, quod Justinianus libertinos omnes Civitate Romana decoravit. Et novissimè omnes homines liberos ingenuos esse voluit, salvo tamen manumissoribus in manumissos jure patronatus. *Novella* 78.

Qui, & quibus ex causis manumittere non possunt.

TITULUS SEXTUS.

NON tamen omnes manumittere possunt, neque ex omnibus causis. Primò enim qui in fraudem creditorum manumittit, nihil agit: quia lex Aelia Sentia impedit libertatem. Permittitur tamen domino, qui

solvendo non est, ut servum suum in testamento hæredem instituat, ut liber fiat, heresque ei solus, & necessarius. §. *licet autem h.t.* In fraudem autem creditorum manumittere videtur, qui vel jam eo tempore, quo manumittit, solvendo non est, vel qui datis libertatibus, desiturus est solvendo esse. Duo tamen requiruntur ad hoc ut impediantur libertates tanquam in fraudem creditorũ datæ. Primò animus fraudolosus manumissoris. Secundò ut re ipsa fraudentur creditores, hoc est, ut realiter eis satisfieri nõ possit. §. *In fraudem h.t.*

Ad §. Eadem lege, cum duobus §. seq.

SEcundò eadem lege Aelia Sentia, qui est minor annis 20. non aliter potest servos suos manumittere, quàm si vindicta apud consilium, justa causa manumissionis probata, illos manumiserit. Hoc tamen caput legis Aeliæ Sentiæ emendavit Justinianus, ut videbimus *in fine h. t.* Justæ autem manumissionis causæ numerantur hic in textu, inter quas una est, si quis manumittat servum, procuratoris habendi gratia, quod tamen intelligendum est ad judicia, non ad negotia extrajudicialia, & dummodò qui manumittitur decimum septimum annum impleverit: hæc enim est ętas Jure Civili necessaria ad hoc ut quis possit esse procurator ad agendum, vel defendendum. Causa autem manumissionis semel approbata, sive vera, sive falsa, non retractatur. §. *Semel autem h.t.*

Ad §. Ultimum.

CÆterum notate, quod Justinianus *in hoc* §. *ult.* emendavit secundum caput legis Aeliæ Sentiæ constituendo ut qui complevisset decimum septimum ætatis suæ annum, posset servis suis in ultima voluntate libertatem præstare, dispositione legis Aeliæ Sentiæ inter vivos firma remanente. Et novissimè idem Justinianus arbitratus fuit, quod sufficeret ad manumittendum in ultima voluntate, ætas, quæ requiritur ad testandum. *Novella ut sponsal. largit. cap. 2.*

De

De Lege Fusia Caninia sublata.

TITULUS SEPTIMUS.

LEge Fusia Caninia certus modus constitutus erat in servis testamento manumittendis. Justinianus autem *in l.ult.C.de lege Fus.Can. tol.* Legem fusiam Caniniam favori libertatis repugnantem, omninò sustulit.

De iis, qui sui, vel alieni Juris sunt.

TITULUS OCTAVUS.

EXposita diuisione personarum à jure gentium sumpta ad alteram, quæ ad Jus Civile refertur, devenien-dum est.

Personarum igitur aliæ sui juris sunt, aliæ alieno juri subjectæ. Subjectæ verò, aùt sunt in potestate parentum, aùt in potestate dominorum, ut *in princ.h.t.* Refertur autem hæc divisio ad Jus Civile, quoniam patria potestas ab eodem jure inventa est, ut videbimus infrà *ad Rub.de pat.pot.* Et dominica potestas non consideratur hic secundum jus gentium ut suprà, sed tamquam à Jure Civili reformata, & emendata, ut mox videbimus. Videamus itaque de personis subiectis: Nàm ità cognoscemus, quæ sui juris sunt, ac prius inspiciamus de his, quæ in potestate dominorum sunt

Ad §. In potestate, usque ad finem Tit.

IN potestate itaque dominorum sunt servi: quæ quidem potestas à jure gentium originem sumpsit, & duos producebat effectus. Primus erat, quod jus vitæ, necisque servorum esset apud dominos. Secundus, quod omnia per

servos justè acquisita ad dominos pertinerent. Sed posteà Jure Civili effectus isti fuerunt restricti, & limitati. Nàm quoad primum ex constitutione Divi Pij Antonini, qui sine causa, ex qua omnibus jure communi permissum est hominem occidere servum suum occiderit, non minus puniri jubetur, quàm si alienum servum, hominemve liberum occiderit. Imò si dominus, vel duriùs, quàm æquum est, servos tractet, vel infami injuria eos afficiat, ex alia ejusdem Imperatoris Constitutione, causa cognita, cogitur servos suos alteri vendere. Secundus pariter effectus limitatus est: per servos enim acquisita, non semper dominis acquiruntur, sed etiam quandoque fructuarijs, & bonæ fidei possessoribus §. *de iis autem, per quas pers. nob. acquir.*

De Patria potestate.

TITULUS NONUS.

PErsonæ alieno juri subjectæ, vel sunt sub dominica, vel sub patria potestate, ut suprà diximus *in princ Tit. prox.* Meritò igitur post Titulum præcedentem, in quo dictum est de potestate dominorum in servos subjicitur præsens titulus in quo agitur de potestate parentum in filios familiarum.

Patria potestas simpliciter considerata juris gentium est: eodem enim jure parentibus utriusque sexus parere tenemur, *l. 2. ff. de Just. & Jur.* tamen illa patria potestas, quæ Civium Romanorum propria est, Jure Civili fuit constituta. §. *Jus autem potestatis h. t.* & patri tantùm, non quia pater, sed quia pater familias est, competit, non autem matri §. *fæmina infra de adopt.* Et nihil aliud est, quàm jus illud, quod à Jure Civili habet paterfamilias in personas liberorum. *Mynsing. in princ. h. t.* Tanta olim erat vis patriæ potestatis, ut non solùm omnia per filium acquisita ad patrem, cujus potestati subjectus erat, pertinerent, sed etiam jus, & vitæ, & necis liberorum, parentes habebant, *l. ult. C. de pat. potest.* Sed

posteà

posteà hæc potestas à Jure Civili ita rigorosè constituta, ab eodem Jure Civili fuit paulatim limitata, & coarctata: unde non possunt hodie parentes inpunè filios occidere, *l. unica C. de iis, qui parent. uel lib. occid.* & ex Constitutionibus privilegium hoc militiæ, tàm armatæ, quàm togatæ datum est, ut in castrensi, uel quasi castrensi peculio filiusfamilias vicem patrisfamilias obtineret, atque adventitia, nisi usus fructus jure, ex Constitutionibus ad patrem non pertinent. De hac igitur civili potestate agitur in hoc Titulo, *& in princ. tit.* nos docet Imperator, quod in potestate nostra sunt liberi nostri, quos ex justis nuptij procreavimus. Unde consequenter apparet, quod nati ex illegitima conjunctione potestati nostræ non subijciuntur: Sunt tamen in potestate nostra legitimati *§. ult. de nuptiis, vel adoptati, princ. Tit. de Adopt.*

A §. Nuptiæ.

NUptiæ autem, sive matrimonium est viri, & mulieris conjunctio, individuam vitæ consuetudinem continens. Conjunctio inquam animorum, non corporum: quia nuptias, non concubitus, sed consensus facit, *l. Nuptias 31. ff. de reg. jur.* Qui quidem consensus ut nuptias faciat debet conferri in tempus præsens: nàm alioquin, si in futurum esset collatus, non faceret nuptias, sed sponsalia, *l. 1. ff. de sponsal.* Et etiam debet esse legitimus, quia non omnis conjunctio, seù consensus maris, & fœminæ nuptias facit, sed ille duntaxat, qui ex legum præscripto proficiscitur. Et dicitur, individuam vitæ consuetudinem continens: Ut intelligamus nuptias eo animo, & voto contrahendas, ut perpetuò sint duraturæ.

Ad §. Jus autem.

IUs autem patriæ potestatis proprium est Civium Romanorum: cum enim ea sit Juris Civilis, ut suprà diximus, consequenter illis, qui jura Civitatis Romanæ non habent, com-

competere non poteſt. Not. tamen, quòd còm hodie omnes, qui ſunt in Orbe Romano, ex conſtitutione Divi Antonini, Cives Romani effecti ſint, *l. in Orbe Romano 17. ff. de Stat. hom.* ſequitur patriam poteſtatem ad omnes Chriſtianos pertinere. *Mynſing. hic. ſub num. 1.*

Ad §. Ultimum.

HÆc igitur patria poteſtas Jure Civili conſtituta, ſolo patri competit, vel alio aſcendenti paterno, non autem matri, nec alio aſcendenti materno. Quare qui ex me, & uxore mea naſcitur, dummodò non ſim in poteſtate alterius, in mea poteſtate eſt. Item nepos, neptis ex filio meo, pronepos, proneptia, & cæteri deinceps, in mea ſunt poteſtate. Qui verò ex filia mea naſcuntur, in poteſtate mea non ſunt, ſed in poteſtate patris eorum.

De Nuptiis.

TITULUS X.

DIximus *in tit. præced.* quod in poteſtate noſtra ſunt liberi noſtri, quos ex juſtis nuptiis procreavimus. competenti igitur ordine ſequitur ut videamus, quę juſtæ nuptiæ dicantur. Nuptiarum definitionem videte ſuprà *in Tit. de patr. poteſt ad. §. Nuptiæ autem.*

Ad juſtas nuptias contrahendas requiritur. Primò Civitas Romana, *ut in princ. h. t.* Unde ſervi nuptias jure civili non contrahunt, ſed contubernium, *l. 3. C. de Inceſt. nup.* Jure vero Canonico, etiam inter ſervos, legitimum contrahitur matrimonium, *cap. 1. de coniug. ſeru.*

Secundò requiritur, quod contrahentes ſint puberes, *dicto princ. h. t.* hoc eſt, ut maſculi ſint majores annis quatuordecim, fœminæ verò majores annis duodecim. *princ. Tit. Inſt. Quib. mod. tut. fin.* Sed jure canonico puberes ſunt, qui ex habitu corporis pubertatem oſtendunt, & generare

iàm

iàm possunt, *cap. 3. de desponſ. impub.*

Tertiò requiritur consensus ipsorum contrahentium, & etiam quod filij, vel filiæ familiarum habeant præcedentem consensum parentum, in quorum potestate sunt, sive tacitum, sive expressum. Hoc tamen secundum jus canonicum de honestate, non de necessitate procedit:

Quartò requiritur vt conjugalis conjunctio non sit nefaria, incesta, aut quoquo modo prohibita.

Ad §. Ergo.

Ergo non omnes nobis uxores docere licet. Nàm à quarundam nuptijs abstinendum est, & principaliter ratione cognationis, vel affinitatis. Est autem cognatio necessitudo personarum, vel ratione ejusdem sanguinis, vel ratione adoptionis: ut inter patrem, & filium, & inter duos fratres. De affinitate videbimus infrà *ad §. affinitatis*. Quoad cognationem verò dicimus, quod inter parentes, & liberos in infinitum contrahi nuptiæ non possunt, & si tales personæ inter se nuptias de facto contraxerint: nefarias, atque incestas nuptias contraxisse dicuntur. Et hæc adeò vera sunt, ut quamvis per adoptionem, parentum, liberorumve loco esse cęperint, non possint inter se, adoptione durante, vel dissoluta, matrimonio jungi. Itaque adoptivus pater, vel avus filiam, vel neptem adoptivam vxorem ducere non potest, quamvis eam emancipaverit. Nàm, & pristinum patris, vel avi nomen pudori esse oportet.

Ad §. Inter eas.

Inter eas verò personas, quæ ex transverso gradu cognationis junguntur, non tam rigida est prohibitio, quoniam inter eas nuptiæ prohibentur duntaxat usque ad quartum gradum. Unde inter fratres, & sorores, sive ab eodem patre eademque matre nati fuerint, sive ex alterutro eorum, sive etiam sint fratres, & sorores per adoptionem, nuptiæ impediuntur. Sed quantum ad adoptivos, si alteruter sit emancipatus, benè consistet matrimonium.

Ad

Ad §. Fratris.

SEd neque fratris, neque sororis filiæ, seù nepti potest quis legitimè copulari, quoniam eis loco parentis est. Potest tamen frater uxorem ducere filiam sororis adoptivæ: quia filia ista, neque naturali jure ei coniungitur, quia nata est ex sorore adoptiva: neque jure civili, quia non est ex ejus familia. Filiæ verò fratris adoptivi non potest frater legitimè copulari, quoniam filia ista ex ejus familia est.

Ad §. Duorum autem.

DUorum autem fratrum, vel sororum filij, vel fratris, & sororis, possunt legitimè jure ciuili inter se nuptias contrahere. Sed jure canonico prohibentur conjugi. *can. quadam* 35. q. 3.

Ad §. Item amitam.

ITem amitam, idest, sororem patris, vel materteram, idest, sororem matris, uxorem ducere non licet: quia parentum loco habentur, & propter hanc eandem rationem, nec amitam magnam, idest, sororem avi, nec materteram magnam, idest, sororem aviæ, vxorem ducere licet.

Ad §. affinitatis, cum §. seq.

AFfinitatis quoque veneratione à quorundam nuptijs est abstinendum. Est autem affinitas jus necessitudinis contractę inter conjugem, & alterius conjugis cognatos. Unde cognati uxoris meæ sunt mihi affines, & è converso, qui sunt mihi cognati, uxori meæ sunt affines: nulla tamen inter cognatos meos, & cognatos uxoris meæ adest affinitas. Affinitatis igitur veneratione uxorem ducere non possum mulierem illam, quæ mihi fuit privigna, aut nurus, quia

utræ-

utræque filiæ loco sunt: neque illam ducere possum, quæ fuit mihi socrus, aut nouerca, quoniam istæ sunt loco matris.

Ad §. Mariti.

COmprivigni tamen, ideſt, mariti filius ex alia uxore, & uxoris filia ex alio marito, vel contrà filius uxoris ex alio marito, & filia mariti ex alia uxore, matrimonium inter se contrahere non prohibentur. Ipsi enim comprivigni inter se, neque cognati, neque adfines sunt: Cognati enim viri, uxori tantùm, non etiam ejus cognatis, & è contrà cognati uxoris, virò tantùm, non etiam ejus cognatis, adfines sunt, ut etiam suprà diximus.

Ad §. Si uxor.

FIlii quoque mei sponsa, propriè mihi nurus non est, nec patris mei sponsa, propriè mihi noverca est: attamen honestas exigit, ut ab hujusmodi nuptiis abstineam.

Ad §. Illud certum est.

COgnatio quoque, & affinitas servilis, ideſt, contracta in servitute, eodem modo inter manumissos impedit nuptias ac si in libertate contracta fuisset *tex. hic juncta l. adoptivus* 14. §. *Serviles*, & §. *seq. ff. de ritu nupt.* Imò jure naturali etiam servilis cognatio, & affinitas inter servos prohibet contrahi contubernium: quoniam eo jure omnes homines æquales sunt, *l. Quod attinet* 33. *ff. de reg. jur.*

Ad §. Sunt, & aliæ.

SUnt, & aliæ personæ, quæ propter diversas rationes nuptias contrahere prohibentur, & presertim raptor nullo modo, nulloque tempore potest cum rapta nuptias contrahere, *l. Unica* §. *Nec sit facultas C. de raptu virg.* Sed

jure

jure canonico raptor cum rapta,quæ postmodum liberè consentiat, matrimonium legitimè contrahit, *cap. fin. de rapt. & incend.* Ex Tridentino tamen *sess.24.cap.6.de reform.mat;* quandiù rapta in potestate raptoris manet, nullum inter eos potest consistere matrimonium.

Ad §. Si adversus ea.

SI aduersus ea, quæ diximus, aliqui nuptias contraxerint de facto: nec viri, nec uxoris nomen habent, nec nuptiæ, nec matrimonium inter eos dicitur contractum,nec id,quod nomine dotis datũ est,dos est, nec liberi nati,patris potestati subiiciuntur. Quibus consequens est ut tali coniunctione dissoluta, nec dotis exactioni locus sit. Et non solùm istas, sed alias etiam pœnas patiuntur, qui prohibitas nuptias contrahunt. Contrahentis enim incestas nuptias pœna est infamia, confiscatio omnium bonorum, cinguli privatio, & exilium: & si vilis fuerit, etiam corporis castigatio. *Novella 12. cap.1.*

Ad §. Ultimum.

REstat notandum, quod hic in textu duo modi legitimandi recensentur. Primus est per oblationem Curiæ, idest, si pater filium suum naturalem Curiæ, seù ordini Decurionum offerat: ita enim filius efficitur legitimus, & ad paternam successionem vna cum aliis filiis admittitur, ipsique filio vicissim pater succedit, non tamen filius ità legitimatus admittitur ad successionem adgnatorum, cognatorumve patris: nec contra adgnati, cognative ipsi legitimato succedunt.

Secundus legitimandi modus est per subsequens matrimonium, puta, si Titius ex muliere, ad quam consuetudinem habuerat, & cum qua fas erat matrimonium contrahere,filios susceperit,& posteà dotalibus Instrumentis compositis, eam duxerit in uxorem, quo casu matrimonium retrotrahitur ad tempus nativitatis liberorum, & perinde

habe-

habetur, ac si contractum fuisset ante liberorum nativitatem, & propterea legitimati per subsequens matrimonium cum filijs postea natis, vel etiam antea ex alio legitimo matrimonio, æqualiter succedunt, patri non solùm, sed & hujus adgnatis, & cognatis. Jure tamen Canonico non est necessarium, quod dotalia conficiantur Instrumenta. Imò eodem jure, omnes nati ex soluto, & soluta, per subsequens matrimonium legitimantur. O*inot.in Tit.de Pat.pot.sub.num.* 21. *&* 22.

De Adoptionibus.

TITULUS XI.

PAtria potestas nonsolum à justis nuptijs, & à legitimatione, sed etiam ab adoptione procedit. Meritò igitur præcedenti Titulo, in quo dictum est de nuptiis, & de legitimatione, subijcitur præsens Titulus de Adoptionibus.

Est igitur adoptio actus legitimus naturam imitans ad eorum, qui liberos non habent, solatium inventus. Et ideò in definitione dicitur adoptionem ad eorum, qui liberos non habent, solatium inventam esse, non quod ii tantùm adoptent, qui liberos, non habent, sed ut id, quod plerunque fit ostendatur. *Theof.hic.*

Ad §.Adoptio.

ADoptio in genere sumpta dividitur in adoptionem in specie, & arrogationem. Hæc fit rescripto Principis, illa verò imperio Magistratus. Auctoritate Principis arrogantur personæ, quæ sui juris sunt, quæ species adoptionis fuit dicta arrogatio, quia fiebat olim per rogationem populi. *Gellius lib.5.cap.19.* Imperio verò magistratus adoptamus eas personas, quæ sunt in potestate parentum; sive primum gradum liberorum obtineant, qualis est filius,

filia: sive inferiorem, qualis est nepos, neptis, pronepos, proneptis. Et in hac adoptione facienda, non solùm adoptans, & adoptandus consentire debent, ut in arrogatione, sed etiam ille, in cujus potestate est ipse adoptandus *§. Sed si quis h.t.*

Ad §.Sed hodie.

OLim autem etiam filius familias adoptatus, indistinctè in potestatem adoptantis transibat, & per consequens jura patris naturalis dissolvebantur; cùm nemo possit eodem tempore esse in patria potestate duorum. Sed hodie ex Justiniani constitutione, quæ est decisio *l.penult.C.de Adopt.* Cum filius familias à patre naturali extraneæ personæ, idest, alicui personæ, quæ non sit in numero parentum, in adoptionem datur; jura potestatis patris naturalis minimè dissolvuntur, nec quidquam ad patrem adoptivum transit, nec in potestate ejus est. Succedit tamen ipse adoptatos, etiam cum legitimis & naturalibus liberis, patri adoptivo ab intestato. Testamento autem ab eo facto, neque jure civili, neque Prætorio, ex hereditate ejus aliquid persequi potest. *§.Sed ea omnia, de hered. quæ ab intest. de fer.* Si verò actis intervenientibus apud competentem Judicem, & præsente adoptante, pater naturalis filium suum præsentem, & non contradicentem det in adoptionem alicui sanguine conjuncto, qui sit ex linea ascendentium, puta, auo materno ipsius filij, tunc adoptio patriam potestatem producit, quia concurrunt in unam personam, & naturalia, & adoptionis jura, & costante adoptione adoptatus nihil à patre suo naturali expectare debet, & si quid adquirit, adoptivo patri adquirit: quod si fuerit emancipatus: in omne jus patris naturalis revertitur.

Ad

Ad §. Cum autem Impubes.

CUm autem impubes per Principale rescriptum adrogatur requiritur. Primò causæ cognitio, hoc est, quærendum est causa adrogationis, an honesta sit, expediatque pupillo. Secundò auctoritas tutoris. Tertiò quod adrogator datis fidejussoribus caveat Tabulario, si intra pubertatem pupillus decesserit, restituturum se bona illis, qui, si adoptio facta non esset ad successionem ejus venturi essent. Facta autem pupilli arrogatione, non potest posteà ipse arrogatus emancipari, nisi, causa cognita, dignus emancipatione fuerit, neque potest sine justa causa exheredari, quod si cum justa causa emancipetur, vel exheredetur, ei omnia bona sua, quæ ad patrem adoptivum transtulit, vel ei posteà adquisivit, sunt restituenda. Si verò absq; justa causa exheredetur, vel emancipetur: nonsolùm prædicta bona sunt ei restituenda, sed ulteriùs adrogator quartam partem bonorum suorum ex Divi Pii rescripto ei relinquere cogitur, si hunc solum filium habeat: alioquin quartam portionis debitæ ab intestato. Non tamen arrogatus iste habet quærelam in officiosi, sed tantùm condictione ex rescripto Divi Pii Quartam consequitur, *l. Papinianus* 8. §. *Si quis impubes ff. de inoffic. testam.*

Ad §. Minorem natu.

MInor natu majorem adoptare non potest. Cùm enim adoptio immitetur naturam, consequenter ejus regulis debet gubernari: & pro monstro est, quod filius sit major patre. Debet igitur qui aliquem in filium sibi vult adoptare, vel arrogare illum plena pubertate, idest, annis decem & octo præcedere.

Ad §. Licet autem, cum duob. §. seq.

LIcet autem non solùm in locum filii, aùt filiæ sed etiam in locum nepotis, vel pronepotis, neptis, vel prone-

ptis,

ptis, vel deinceps adoptare, quamvis filium quis non habeat. Quòd si filium habeat, etiam adoptivum, & loco nepotis ex filio aliquem arroget, vel aliquem ex his, qui per adoptionem transeunt in potestatem, adoptet: requiritur filij consensus, non ut adoptio valeat, sed ut eo, qui adoptavit mortuo, nepos incipiat esse filio suus heres. Sed ex contrario si avus nepotem ex filio det in adoptionem: non est necesse filium consentire. Et tam filium alienum in locum nepotis potest quis adoptare, quam nepotem in locum filii; non tamen licet quemquam adoptare in locum fratris, vel alterius cognati: nàm cùm adoptio immitetur naturam, ut diximus, naturaliter similes personas non procreamus. Tam autem arrogatus principali rescripto, quàm adoptatus à persona non extranea apud Prætorem, vel Præsidem, alteri in adoptionem dari potest.

Ad §. Sed, & illud.

ET quia, ut suprà diximus, adoptio naturam immitatur, ideò ad hoc ut quis adoptare, vel arrogare possit, requiritur ut habeat, vel habere possit potentiam generandi, licèt ea aliquo accidenti sit impedita. Unde Spadones adoptare possunt: secus Castrati, Leo tamen Imperator *Novella* 26. *&* 27. etiam Castratis facultatem adoptandi concessit.

Ad §. Fœminæ.

FOeminæ quoque nec adoptare, nec arrogare possunt, nisi id faciant ex indulgentia Principis ad solatium liberorum amissorum. Leo verò Imperator *Novella* 27. etiam fœminis, quæ matres non fuerint, adoptandi facultatem concessit: ipsis tamen patria potestas non adquiritur.

Ad

Ad §. Illud.

ILlud proprium est arrogationis: quod non solùm arrogatus potestati arrogantis subijcitur, sed etiam liberi ejus, si quos habeat in potestate, transeunt tamquam nepotes in potestatem ejusdem arrogatoris.

Ad §. Ultimum.

SI verò dominus servum suum adoptaverit, vel eum apud acta filium nominaverit, hæc adoptio, vel nominatio non inducit filiationem, sed liberationem.

Quibus modis jus potestatis soluitur.

TITULUS XII.

VIdimus suprà quomodo quis alieno juri, hoc est, Dominicæ, vel patriæ potestati, subiiciatur. Videamus nunc quibùs modis, hi qui alieno juri subjecti sunt, eo jure liberentur.

Servi igitur à dominica potestate liberantur manumissione, de qua suprà sufficienter dictum fuit. hi voto, qui in potestate parentum sunt, pluribus modis ab ea liberantur. Et primò filij, filiævè, qui, quævè in potestate patris sunt, mortuo eo, sui juris fiunt: morte autem avi nepotes, neptesque ità demum sui juris efficiuntur, si in potestatem patris sui recasuri, recasuræve non sunt: videlicèt si pater eorum præmortuus fuerit, vel de potestate patris exierit. Nisi fortè per dignitatem exivisset: tunc enim post mortem avi recidunt nepotes in potestatem patris sui. *Novella* 81. *cap.* 2.

Ad §. Cum autem.

SEcundò ſolvitur patria poteſtas, ſi pater, vel filius ob aliquod maleficium in Inſulam deportetur. Deportati enim Civitatem amittunt: ac propterea quaſi mortuo patre, vel filio, qui per deportationem ex numero Civium Romanorum tollitur, patria poteſtas ſolvitur. Sed ſi ex indulgentia principis reſtituti fuerint, per omnia priſtinum ſtatum recipiunt, atque reſtituuntur generali verbo reſtituo, veluti ſi Princeps dicat Reſtituo te in integrum, *l.* 1. *C. de ſent. paſſ.* Relegati vero in Inſulam, Civitatem non amittunt: & conſequenter pater relegatus patriam poteſtatem non perdit: Et ex contrario liberi relegati, à patria poteſtate non liberantur. Hic obiter notate, quod inter deportatos, & relegatos differentiæ præcipuæ ſunt, quod Relegati Civitatem, & patriam poteſtatem, & teſtamenti factionem, & bona, & omnia jura ſua retinet, & interdum non in perpetuum, ſed ad tempus relegantur. Deportati omnia illa amittunt, & nunquam ad tempus deportantur.

Ad §. Pœnæ ſervus.

TErtiò. Jus patriæ poteſtatis ſolvitur ſi pater propter commiſſum aliquod ſcælus factus ſit ſervus pœnæ, qui enim ſervus pœnæ efficitur, & Civitatem, & libertatem perdit, & conſequenter, quaſi eo mortuo, deſinunt liberi in poteſtate ejus eſſe. ſervi autem pœnæ efficiuntur, qui in metallum damnantur, & qui beſtijs ſubijciuntur, & confeſtim poſt ſententiam ſervi pœnæ efficiuntur. Sed Jure noviſſimo nemo Ingenuus ex ſupplicio fit ſervus A. de nuptiis *cap.* 2. §. *Quod autem.*

Ad §. Filius familias.

QUartò jus patriæ poteſtatis ſolvitur filij dignitate. Et quidem jure inſtitutionum ſumma tantùm Patriciatus dignitas à patria poteſtate filium eximebat. Patricij autem, de quibus hic agitur, ſunt hi, quos Imperator ſibi patres elegit, ideſt, ſupremi ejus Conſiliarij. At jure noviſſimo, ut in A. Conſtitutio, quæ dignitatibus *cap.* 1. *&* 3. Omnis dignitas à Curia liberare valens, & Epiſcopalis ordinatio liberos à patria poteſtate liberat. Et quædam harum dignitatum numerantur in dicto A. *cap.* 1. *& alia in l. fin. C. de Decur. lib.* 10. Not. tamen, quod filius per dignitatem liberatur tantùm ab ea parte patriæ poteſtatis, quæ ſibi onerosa, non ab ea, quæ ſibi utilis eſt, unde omnia jura tàm naturalia, quàm legitima apud ipſum intacta permanent, dicto A. Conſtitutio, quæ dignitatibus *cap.* 2.

Ad §. Si ab hoſtibus.

QUintò ſolvitur jus patriæ poteſtatis capto ab hoſtibus patre, vel filio. Jus tamen Poſtliminij fingit captivum ab hoſtibus reverſum ſemper in Civitate fuiſſe. Unde pater reverſus ſicuti omnia priſtina jura, ita etiam in filios priſtinam recipit poteſtatem. Et è contrà filij reverſi habent omnia priſtina jura, & poteſtati ſubijciuntur. Quod ſi captivus apud hoſtes moriatur, fingit lex Cornelia eum tunc deceſſiſſe, cùm fuit captus. Unde, ſi pater in captivitate deceſſerit, ab eo tempore, quo captus fuit, filij ſui juris fuiſſe videntur. Dictum eſt autem Poſtliminium à limine, & poſt, quia revertens ab hoſtibus eodem limine revertebatur, quo amiſſus fuerat.

Ad §, Præterea.

SExto ſolvitur jus patriæ poteſtatis per emancipationem. Eſt autem emancipatio, liberatio à patria poteſtate; ſeù

seù actus legitimus, quo parentes liberos suos de potestate dimittunt, ac sui juris faciunt. Et hodie emancipatio fit, vel ex Imperiali rescripto, vel apud Judices competentes. Et emancipatione sequuta, parenti manumissori ex edicto Prætoris in bonis liberorum eadem jura præstantur, quæ tribuuntur patrono in bonis liberti. Quæ autem sint hæc jura videbimus infrà *in Tit. de success. libert.* Et prætereà si emancipatus sit impubes, ipse parens ex manumissione tutelam ejus nanciscitur. Jure verò novissimo in successionibus ab intestato nulla habetur ratio emancipationis. *Nouella* 118. Admonendi autem sumus, quod qui habet in potestate filium, & ex eo nepotem, vel neptem, aut alios deinceps descendentes, potest, vel omnes sui juris efficere, vel aliquem ex his, ceteris in potestate retentis.

Ad §. Sed & si pater.

ULtimo solvitur, seù commutatur jus patriæ potestatis per transitum in alterius potestatem: quod contingit cùm pater dat in adoptionem filium, quem in potestate habet, alicui ex ascendentibus, puta, avo materno: tunc enim filius à potestate patris liberatur, & transit in potestatem avi materni, de qua adoptione fusiùs diximus suprà *in Tit. prox. praced. ad §. Sed hodie*.

Ad §. Illud autem.

ILlud autem sciendum est, quod nepos ex filio conceptus antequam filius emancipetur, vel ut suprà in adoptionem detur, in potestate avi nascitur: quod si post emancipationem, vel adoptionem conceptus fuerit, patris sui emancipati, vel avi adoptivi potestati subijcitur.

Ad §. Ultimum.

EST pariter sciendum, quod neque legitimi, & naturales liberi, neque adoptivi possunt regulariter cogere paren-

parentes, ut de potestate sua eos dimittant. Et è contra filius non potest invitus emancipari, *l.5.C.de emancip. liber.* Casus autem, in quibus pater liberos suos emancipare compellitur, vel in quibus filius potest etiam invitus emancipari, videte *in meis Comment.Instit.* hoc eodem loco.

De Tutelis.

TITULUS XIII.

PErsonæ, quæ sui juris sunt, de quibus nunc est videndũ, vel in Tutela sunt, vel in Curatione: vel neutro jure tenentur. Tutela est vis, ac potestas in capite libero ad tuendum eum, qui propter ætatem se defendere nequit, jure Civili data, ac permissa. Dicitur vis, ac potestas &c. Hoc est, legitima facultas, & auctoritas ad tuendum pupillum etiam invitum. Et dicitur in capite libero, pro in caput liberum: idest, in personam alterius potestati non subjectam: servo enim & filiofamilias regulariter Tutor non datur. Dicitur jure Civili data, ac permissa. *Lege* 12. Tabularum data est Tutela legitima, permissa Testamentaria, dativa datur à Magistratu permissu aliarum legum.

Ad §. Tutores.

TUtores autem sunt, qui eam vim, ac potestatem habent in pupillum, de qua diximus in definitione Tutelæ. Et Tutores appellantur, quasi tuitores, atque defensores, eo quod pupilli tuitio, atque defensio ipsis commissa est.

Ad §. Permissum, cum §. seq.

DIviditur Tutela in Testamentariam, legitimam, & dativam: & quia non fit locus legitimæ, aut dativæ Tutelæ, nisi Testamentaria deficiente, ideò primo loco de ea videndum est: Tutela igitur Testamentaria est ea, quæ da-

tur à parentibus liberis impuberibus in sua potestate existentibus, & in alienam non recasuris, testamento, vel codicillis testamento confirmatis. Potest itaque pater filio filiæve impuberi in sua potestate existenti omnimodo testamentarium tutorem dare: avus verò ita demum nepotibus, neptibusque in sua potestate existentibus testamento rectè tutorem dabit, si post ejus mortem in potestatem patris sui non sunt recasuri. Et non solùm testamentarius tutor dari potest liberis jàm natis, sed etiam nascituris, postumis videlicèt: dummodò tamen sint postumi sui, non alieni, hoc est, dummodò in ea causa sint, ut si vivis parentibus nascerentur, sui heredes, & in potestate eorum fierent. Sed si emancipato filio tutor à patre datus fuerit testamento, vel codicillis, confirmandus est à Judice sine inquisitione. Si tamen Judex aliquid de tutore compertum habeat, quod ipsi patri fuit incognitum, tutorem confirmare non debet, *l. Vtilitatem 10. ff. de confirm. tut. vel curat.*

Qui Testamento Tutores dari possunt.

TITULUS XIV.

DIctum est in Titulo præcedenti qui possint dare, & quibus dentur Tutores testamentari: nunc videndum qui nam Testamento Tutores dari possint.

Dari Testamento Tutor potest, non solùm paterfamilias, sed etiam filiusfamilias, ut *in princ. h. t.* Tutela enim publicum munus est, *princ. tit. de excus. tut. vel cur.* Et filiusfamilias in publicis causis loco patrisfamilias habetur, *l. filiusfamilias 9. ff. de his, qui sui vel alien. jur. sunt.*

Ad §. Sed & Servus.

SED & servus proprius testamento rectè tutor datur, etiam sine libertate: ea enim tacitè subintelligitur data

ta ex Regula : Qui vult consequens, vult & antecedens. Servus autem alienus purè inutiliter testamento Tutor datur: sed sub conditione, cùm liber erit, utiliter datur.

Ad §. Furiosus.

FUriosi, vel minores 25. annis, & similes, qui temporale impedimentum habent, Testamento tutores dari possunt, sed tunc tantùm tutores erunt, cùm fuerint impedimentum sublatum, veluti, cùm furiosus compos mentis, aut minor 25. annis, major factus fuerit. Et interim alius Tutor, vel Curator à Magistratu dabitur.

Ad §. Certum tempus.

AD certum tempus, vel ex certo tempore, vel sub conditione, vel ante heredis institutionem Tutor à testatore dari potest. Et finito tempore, vel pendente die, aut conditione, alius tutor à Magistratu dandus est, *l. Si quis* 11.*ff.de testam.tut.* At Magistratus si diem, vel conditionem adiecerit dationi tutoris, eam vitiabit, quòd imperfecta actio Magistratus esse non debeat.

Ad §. Certæ autem.

CErtæ autem rei, vel causæ tutor dari non potest: veluti, ille tutor esto in hoc fundo, aut in hac lite: Quia personæ, non causæ, vel rei tutor datur. Si tamen Tutor detur Rei Aphricanæ, vel Rei Syriacæ: utilis datio est, *l.Si tamen* 15.*ff.de testam.tut.* Hoc est, Datio propter utilitatem pupilli benignè sustinetur.

Ad §.Ultimum.

CÆterùm notate, quod tutela data filijs, vel filiabus etiam postumo, vel postumæ data intelligitur: quia filij, vel filiæ appellatione, & postumus, & postuma continetur.

netur. Nepotes verò in hoc tractatu, appellatione filiorum non veniunt. Unde tutela data filijs, non intelligitur data nepotibus, sed si liberis data sit, etiam nepotibus data videtur: uti etiam si postumis tutor datus sit, tam filijs, quàm nepotibus postumis, datus intelligitur.

De legitima agnatorum Tutela.

TITULUS XV.

TUtela Testamentaria deficiente, legitimæ locus est. Unde meritò expeditus Imperator à Testamentaria, ad legitimam transitum facit: quæ dividitur in Tutelam Agnatorum, Patronorum, & Parentum, & Fuduciariam. Videndum est igitur de omnibus istis speciebus legitimæ Tutelæ, & primò de ea Agnatorum, quæ tamquam nominatim ex verbis *legis* 12. *Tab.* introducta, ceteris dignior esse videtur.

Quibus igitur testamento tutor datus non sit, his ex *lege* 12.*Tab.* agnati sunt tutores, qui vocantur legitimi. Sunt autem agnati, cognati per virilis sexus cognationem conjuncti. Qui verò per fœminini sexus personas cognatione junguntur, non sunt agnati, sed aliàs naturali jure cognati,

Quod autem *lex* 12.*Tab.* ab intestato vocat ad tutelam agnatos, sic debet intelligi, ut quantum ad tutelam, non solùm is; qui poterat Tutores dare decessisse dicatur ab intestato, si omninò testamentum non fecerit, sed etiam si testamento facto, Tutorem non dedit, vel si dedit, datio effectum non habuit, veluti quia Tutor datus, vivo Testatore decesserit. §.*Quod autem lex h.t.*

Sed agnationis quidem jus perimitur capitis deminutione, maxima, & media, semper, minima, plerumque. Cognationis verò Jus, seu potiùs jura cognatis indulta (nàm jura sanguinis nulla Civili ratione dirimi possunt) tantùm maxima, vel media capitis deminutione tolluntur.

Olim

Olim igitur, etiam minima capitis deminutione, legitima agnatorum tutela plerumque perimebatur. Sed hodie ſicut proximiores gradu ad ſucceſſionem vocantur, ſivè ſint agnati, ſivè cognati: ità etiam vocantur ad tutelam: dummodò tamen ſint capaces exercendi munus tutelæ. *Novella* 118.*cap*.5.

De Capitis deminutione.

TITULUS XVI.

DIctum fuit in fine præcedentis Tituli, quod agnationis jus per capitis deminutionem plerumque perimitur. Videamus igitur obiter quid ea ſit.

Eſt itaque capitis deminutio, prioris ſtatus commutatio. Hic ſtatus in tribus conſiſtit, in libertate, Civitate, agnatione, ſeu familia: ideòque etiam capitis deminutio tribus modis accidit. Nàm aut maxima eſt, aut minor, ſive media, aut minima.

Maxima capitis deminutio eſt, cum aliquis ſimul & Civitatem, & libertatem amittit. Et conſequenter etiam familiam, quod accidit, v.g. libertis ob ingratitudinem erga patronum in ſervitutem revocatis.

Minor, ſivè media capitis deminutio eſt, cùm Civitas quidem amittitur, & conſequenter etiam familia, ſed libertas retinetur, quod v.g. accidit ei, qui in Inſulam deportatus eſt.

Minima capitis deminutio eſt, cùm Civitas retinetur, & libertas, ſed ſtatus familiæ commutatur, quod accidit per arrogationem, vel per emancipationem.

Illi autem, quibus dignitas permutatur, non ſtatus, capite non minuuntur: & ideò Senatu motos, capite non minui conſtat.

Ad §. Ultimum.

SIcut autem legitima hereditas non defertur ad omnes agnatos ſimul, ſed tantùm ad proximiorem agnatum: ità legitima agnatorum tutela ad agnatum proximiorem tantùm, non ſimul ad omnes pertinet. Si tamen ſint plures agnati ejuſdem gradus, omnes pariter ad tutelam vocantur. Sed hodie ſicut hereditas dèfertur proximioribus, agnatione non inſpecta, ità & tutela. *Novella* 118.*cap.*5.

De legitima patronorum Tutela.

TITULUS XVII.

SEcunda ſpecies legitimæ Tutelæ eſt ea patronorum: quæ per interpretationem *legis* 12. *Tab.* perinde accepta eſt, atque ſi verbis legis introducta eſſet. Cùm enim lex patronos, eorumve liberos ad hereditates libertorum, & libertarum, ſi inteſtati ſine liberis deceſſiſſent, expreſsè vocaſſet: veteres crediderunt legem quoque tacitè voluiſſe libertorum, & libertarum tutelam ad eoſdem patronos, liberoſve eorum pertinere: cùm etiam proximiores agnatos, quos ad hereditatem lex vocabat, eoſdem & tutores eſſe juſſerit: quia plerumque, ubi ſucceſſionis eſt emolumentum, ibi & tutelæ onus eſſe debet. Ideò autem diximus plerumque: nàm aliquando quis vocatur ad ſucceſſionem, non tamen ad Tutelam: patrona enim ad legitimam hereditatem impuberis manumiſſi vocatur, non tamen vocatur ad ejus tutelam, quia generaliter à munere tutelæ, quod virile eſt, fœminæ repelluntur, *l.*1. *C.Quando mul. tutelæ officio &c.* Excepta matre, & avia, quibus liberorum tutela permittitur, *Novella* 118. *cap.*5. Minor pariter 25.annis ſuccedit in hereditate liberti, & etiam in alia qualibet legitima hereditate, & tamen generaliter tutor eſſe prohibetur, ut infrà *de fiduc.tut. in fine,& l.ult. C.de legit.tut.*

De

De legitima parentum Tutela.

TITULUS XVIII.

TErtia ſpecies legitimæ Tutelæ eſt ea parentum, quæ patronorum exemplo recepta eſt ex mente, & interpretatione *legis* 12.*Tab.* Sicuti enim patroni ad legitimam ſucceſſionem, & conſequenter ad Tutelam ſuorum libertorum vocantur, quoniam eos manumiſerunt: ità etiam parentes vocantur ad ſucceſſionem, & conſequenter ad Tutelam ſuorum liberorum, quos emancipaverunt, quoniam eos manumiſerunt: emancipationes enim liberorum olim contracta fiducia, & intercedentibus manumiſſionibus fiebant. Et licèt hodie liberi aliter emancipentur, tamen perinde habentur ac ſi ſecundum veterem formulam emancipatio fieret *tex.hic*, juncto §.*prætereà*,*quib.mod.jus pot. ſol.* & §.*ult.de legit.agnat.ſucceſſ.*

De fiduciaria Tutela.

TITULUS XIX.

QUarta ſpecies legitimæ Tutelæ eſt fiduciaria, quæ à fiducia diligentiæ, & fidei, quam habet lex perſonarum, quibus hanc defert Tutelam, ità denominatur. In tribus autem caſibus locum habere poteſt fiduciaria Tutela: aliquando enim pater fit fiduciarius Tutor filio ſuo emancipato ab avo: aliquando frater fit fiduciarius Tutor fratri ſuo emancipato: & aliquando patruus fratris filio emancipato. Exempla videte *in meis Comment.Inſtit.hoc eod.loco*. Et hæc olim ità procedebant. Sed hodie, præſertim *ex Novella* 118. pater filio, patruus fratris filio, & frater fratri ab inteſtato ſuccedunt omni differentia emancipationis ceſſante, & conſequenter ob ſpem heredi-

tatis ad tutelam quoque eorundem vocantur. Ideòque ex ratione *legis* 12.*Tab.* & lege nova, poterunt hujusmodi tutores rectè vocari legitimi. Ad hoc tamen ut supra dicti ad Tutelam vocentur, ut dixi, requiritur quod sint perfectæ ætatis, ideſt, majores annis 25. quod Justinianus sua Constitutione, quæ eſt *l.ult.C.de legit.tut.* in omnibus tutelis, & curationibus observari generaliter præcepit.

De Atiliano Tutore, & eo, qui ex lege Julia, & Titia dabatur.

TITULUS XX.

HIC Titulus inſcribitur de Atiliano Tutore, & eo, qui ex lege Julia, & Titia dabatur: quia olim, si cui nullus omninò Tutor fuerat, ei dabatur in Urbe ex lege Atilia: In Provincijs verò, ex lege Julia, & Titia. Sed ex his legibus Tutores pupillis desierunt dari, quoniam his legibus neque cavebatur quidquam de satiſdatione à Tutoribus exigenda, rem pupillis ſalvam fore, neque de compellendis tutoribus ad tutelæ adminiſtrationem. Animadvertendum tamen eſt, quòd licèt ex dictis legibus desierint tutores dari, nihilominus in ijſdem casibus, in quibus olim tutori dativo locus erat, etiam hodie eidem locus eſt. Et ijſdem modis, quibus tutor dativus, olim tutor eſſe desinebat, & hodie eſſe desinit. Ideòque hodierno etiam jure, nemine exiſtente, qui ex Teſtamento, vel lege ad tutelam vocetur, Judex competens tutorem dat. Et etiamsi in Teſtamento Tutor ſub conditione, aut ex die certo datus ſit, vel purè, ſed pendeat effectus teſtamenti, nemine hereditatem adeunte, vel si ſit tutor ab hoſtibus captus: à Judice tutor datur, qui desinit eſſe tutor conditione exiſtente, vel die adveniente, aut hereditate adita, vel captivo in Civitatem reverſo.

Ad

Ad §. Sed hoc Jure.

SED hoc Jure utimur, inquit Justinianus in hoc §. ut Romæ quidem Præfectus Urbi, vel Prætor secundum suam jurisdictionem, idest, Præfectus Urbi Illustrium, & Clarissimorum filijs, Prætor cęteris: In Provincijs autem Pręsides ex inquisitione tutores crearent, vel Magistratus jussu Præsidum, si non sint magnę pupilli facultates. Inquisitio autem in his potissimum versatur, ut videlicet inquiratur, an qui tutor est datus, moribus sit honestus, an locuples, an se obtruserit tutelę, an pecunia tutelam ambierit, an denique alienis bonis administrandis sufficiens sit.

Ad §. Nos autem.

EX Constitutione autem Justiniani, quæ est *l. Sancimus 30. C. de Episcop. aud.* non expectata Præsidum jussione, si facultates pupilli, vel adulti non excedant summam quingentorum aureorum, debent defensores Civitatum, Magistratus Municipales, vel Juridicus in Alexandria, Tutores, vel Curatores creare, una cum Episcopo Civitatis, aut cum alijs publicis personis: præstita tamen satisdatione à Tutore, vel Curatore, pupillis, vel adultis rem salvam fore, cujus satisdationis periculum ad supradictos spectat, qui dictis pupillis, vel adultis quingentarijs Tutores, vel Curatores constituunt.

Ad §. Impuberes.

FUit autem inventa tutela, quoniam juri naturali conveniens est, ut impuberes, qui propter ætatis imbecillitatem se regere nequeunt, alterius tutela regantur.

Ad §. Ultimum.

FInita verò Tutela, tenentur tutores, Tutelæ *judicio*, administrationis rationem reddere.

De Auctoritate Tutorum.

TITULUS XXI.

EXplicata fuit suprà Tutorum constitutio, & varietas. Nunc ergo meritò de ipsorum auctoritate subijcitur. Est igitur Tutorum auctoritas approbatio ejus, quod agit ur cum pupillo. Non tamen semper Tutoris auctoritas pupil lis necessaria est, sed eo tantùm casu cùm de eorum incommodo tractatur. Namque, etiam sine tutoris auctoritate, possunt pupilli conditionem suam meliorem facere: deteriorem verò non aliter, quàm cum tutoris auctoritate. Unde si quid dari sibi stipulentur pupilli: non est necessaria tutoris auctoritas, sed benè si alteri quid promittant. Et in his causis, ex quibus obligationes mutuæ nascuntur, si tutoris auctoritas non interveniat: sibi quidem obligant contrahentes, ipsi autem illis non obligantur. Si tamen agant ex contractu, ex quo cum aliena jactura locupletiores evaderent, doli mali exceptione repelluntur: & facti locupletiores, conversum in utilitatem suam restituere obligantur. Natura enim æquum est, neminem cum alterius detrimento fieri locupletiorem, *l. nàm hoc natura* 14. *ff. de condic. indeb.* Quod tamen pupilli contrahendo alium sibi obligent, uti q; de ijs verum est, qui jàm pubertati proximi sunt: Nàm infans, & infantiæ proximus, non multum à furioso distant: sed in proximis infantiæ propter utilitatem eorum benignior juris interpretatio facta est: ut idem juris habeant, quod pubertati proximi §. *Sed quod diximus, de inutil. stipul.*

Ad

Ad §. Neque tamen.

QUamvis autem pupilli, ut diximus, possint conditionem suam meliorem facere, etiam sine tutoris auctoritate: non tamen possunt sine auctoritate tutoris hereditatem adire, neque bonorum possessionem petere, neque hereditatem ex fideicommisso suscipere, quamvis illis lucrosa sit, nec ullum damnum habeat. Et ratio est, quia qui hereditatem capit, æri alieno obligatur: pupillus autem obligari, nisi tutore auctore, non potest, *l. more 8. ff. de acquir. vel omit. hered.* Loquimur autem de hereditate extranei. Nàm in suis heredibus aditio non est necessaria: quia statim ipso jure, etiam impuberes, heredes existunt, *l. 1. §. qui sunt ff. Si quis omiss. cau. test. & d. l. more* 8. Ratio verò differentiæ quare pupillus, contrahendo sine tutoris auctoritate, possit contrahentes sibi obligare, quamvis ipse illis non obligetur: hereditatem verò acquirere non possit pupillus, quin ejus onera subeat: ea est, quoniam contrahenti cum pupillo imputari potest, quod cum eo sine tutore contraxerit: creditoribus autem hereditarijs non potest imputari, cur hereditas ad pupillum, cum quo non contraxerunt, pervenerit. *Pac. hic in Analy.*

Ad §. Tutor autem.

TUtor autem statim in ipso negotio præsens debet suam interponere auctoritatem, si hoc pupillo prodesse existimaverit: Nàm aliàs si post tempus, vel per epistolam auctoritatem interponat, nihil agit, *tex. hic.* Non tamen potest tutor ad suam utilitatem auctor esse pupillo. Unde si inter tutorem, & pupillum judicium agendum sit, curator ad litem in tali casu datur, qui judicio peracto, curator esse desinit. Sed jure novissimo, qui vel debitor est pupilli, vel creditor, ad tutelam ejus prohibetur accedere, *Novella* 72. Nisi esset mater, vel avia *Novella* 94. & ibi *Cujac.* Et si debitum, aut creditum superveniat tempore tutelæ, Tutori

tori

tori adjungitur tutor, aut curator, *d. Novella 72. cap. 2.* Si tamen tutor, qui pupilli debitor, aut creditor factus est, contutorem habeat, non erit opus ipsi tutori curatorem adjungere: Nàm etiam lis, contutore auctore, peragi poterit, *l. Si plures 24. ff. de Testam. tut. & l. 1. C. de in lit. dand. tut.* Et litem hic intelligimus, quæ sit de alijs rebus, quàm de tutelæ administratione, quia, nisi finita tutela sit, tutelæ agi non potest, *l. Nisi finita 4. ff. de Tut. & rat. dist.*

Quibus modis Tutela finitur.

TITULUS XXII.

HActenus dictum est quomodo Tutela constituatur, & quos effectus posteà producat. Nunc sequitur ut videamus quibus modis Tutela ipsa finiatur.

Finitur igitur primo adventu pubertatis pupilli, pupillæve. Et masculi post annum decimumquartum completum puberes æstimantur: fœminæ verò post duodecimum annum completum pubescere judicantur, ut *in princ. h. t.* Quo tempore elapso tutela, absque ulla hominis sententia, ipso jure finitur. Prudentis tamen tutoris est, puberibus factis curatores petere, vel eos admonere, ut sibi curatores petant, ne de eorum indemnitate, si aliquod damnum intra annum 25. passi fuerint, teneatur, *l. Ità autem 5. §. Si tutor, & l. A tutoribus 34. §. Officium ff. de administ. & peric. tut.*

Secundò, finitur tutela qualibet capitis deminutione pupilli. Per minimam capitis deminutionem, per arrogationem scilicèt pupilli, expirat tutela, quoniam arrogatus transit in potestatem arrogantis, & consequenter filiusfamilias factus, in tutela esse non potest, *princ. tit. de Tutelis.* Per mediam verò, veluti, si pupilli pubertati proximi deportentur, vel per maximam, veluti, si tamquam patrono ingrati in servitutem redigantur, tutela finitur, quoniam in his casibus pupilli civiliter moriuntur. *§. Item finitur h. t.*

juncta

juncta *l. Verum est* 64. §. *penult. ff. pro socio*. Si verò pupillus capiatur ab hostibus, Tutela quidem finitur, sed reuersus jure postliminij pristinæ tutelæ restituitur, & interim bonis ipsius curator dandus est, *l. Ab hostibus* 15. *in princ. ff. Ex quib. caus. maior.*

Tertiò, si usque ad certam conditionem Tutor testamento datus sit, existente conditione, desinit esse tutor. §. *Sed et si h. t.* Et dicitur Testamento, quoniam Magistratus purè tantùm potest tutorem dare, ut diximus suprà ad §. *ad certum tempus, qui testam. tut. dari poss.*

Quartò, finitur Tutela morte vel pupillorum, vel Tutorum. Mors enim omnia solvit. *A. de nuptijs cap.* 2. §. *Deinceps*.

Quintò, perit omnis Tutela per maximam, & mediam capitis deminutionem Tutoris. Tunc enim ipse civiliter moritur, *l. Verum est* 64. §. *Intereunt ff. pro socio*. Per minimam verò capitis deminutionem Tutoris, legitima quidem agnatorum tutela perit, quia minima etiam capitis deminutione jus agnationis perimitur. §. *ult. de legit. agnat. tut.* Sed aliæ tutelæ non pereunt, quia non solùm paterfamilias, sed etiam filiusfamilias Tutor esse potest, *princ. Tit. Qui testam. tut. dari poss.* Imò hodie locum habere non potest, quod diximus de legitima agnatorum Tutela: quoniam sicuti hereditas defertur proximioribus agnatione non inspecta: ità etiam Tutela ijsdem proximioribus defertur agnatione non considerata. *Novella* 118. *cap.* 5. Omnes tamen tutelas tollit quælibet capitis deminutio pupilli, ut diximus suprà *in* §. *Secundò finitur*.

Sextò, qui ad certum tempus testamento Tutor datus est, adventu temporis, deponit Tutelam §. *prætereà h. t.* Et dicitur, Testamento, quia Magistratus non potest dare Tutorem nisi purè, vt suprà diximus.

Desinunt etiam Tutores esse, qui removentur à Tutela tamquàm suspecti, & qui ex justa causa in perpetuum ab ea se excusant. De qua remotione suspecti, & justa excusatione videbimus infrà *in Tit. penult. & ult.* hujus libri.

De

De Curationibus.

TITULUS XXIII.

FInita Tutela pubertate pupillorum, ad Curatores administratio rerum minorum incipit pertinere: Meritò, expoſita Tutela, ſequitur ut de Curationibus diſſeramus.

Curatio igitur, ſeu cura eſt poteſtas adminiſtrandi bona illius, qui propter ætatem, vel mentis, aut corporis impedimentum, præeſſe rebus ſuis non poteſt. Videte *in meis Comment. Inſtit. ad §. Eſt autem, de Tutelis.*

Minoribus itaque, hoc eſt, maſculis, qui 14. annum exceſſerint, & fœminis, quæ 12. uſque ad 25. completum, curatores dantur: quia licèt puberes ſint, adhuc tamen ejus ætatis ſunt, ut ſua negotia tueri non poſſint, ut *in princ. h. t.*

Ad §. Dantur autem.

DAntur autem Curatores ab ijſdem Magiſtratibus, à quibus & Tutores. Qui verò ſint hi Magiſtratus, diximus ſuprà *in Tit. de Atil. Tut.* Sed Curator teſtamento non datur, ne à patre quidem, qui filium habet in poteſtate. Si tamen Curator teſtamento datus ſit, confirmandus eſt decreto Prætoris, vel Præſidis, *tex. hic, l. 1. in fin. ff. de confirm. Tut. l. 2. C. eodem.*

Ad §. Item inviti.

NON tamen inviti adoleſcentes curatores accipiunt, præterquam in litem. Tunc enim, ſive conveniant, ſive conveniantur, ipſis etiam invitis curator dandus eſt: Curator enim & ad certam cauſam dari poteſt. Furioſis quoque, & prodigis, & alijs perſonis, quæ rebus ſuis ſupereſſe non poſſunt, veluti, mentecaptis, ſurdis, mutis, & per-

petuo

petuo morbo laborantibus, à Magistratu Curatores dandi sunt.

Ad §. Interdum autem.

INterdum autem & pupilli Curatores accipiunt, ut puta, si legitimus Tutor fraudulenter negotia administret, vel non sit idoneus ad administrationem: Nàm Tutorem habenti, regulariter Tutor dari non potest. Item, si testamento datus Tutor, vel à Magistratu, idoneus non sit ad administrationem, nec tamen fraudulenter negotia administret, ex decreto Magistratus ei curator adjungitur. Si verò fraudulenter administret, removendus est tamquam suspectus, & in ejus locum alius tutor substituendus, *l.licet* 4. *C.In quibus cas.tut.hab.&c.* Item in locum Tutorum, qui non in perpetuum, sed ad tempus à Tutela excusantur, à Magistratu Curatores dantur. In locum verò eorum, qui excusantur in perpetuum, alij tutores substituuntur, dicta *L. licet* 4.

Ad §. Ultimum.

QUod si tutor adversa valetudine, Tutelam susceptam superveniente, vel alia necessitate, veluti, dignitate, vel ætate, impediatur quominùs negotia pupilli administrare possit, nec vellit se excusare, & pupillus, vel absit, vel infans sit, Magistratus Actorem, seu adjutorem, quem velit Tutor, periculo ipsius Tutoris, decreto constituet, *tex.hic.* Quod si pupillus sit præsens, & major infante, procuratorem Tutore interveniente ordinare poterit, *l.Decreto* 25. *ff.de administ.& peric.tut.* *l.Neque* 11. *C. de Procurat.*

De Satisdatione Tutorum, vel Curatorum.

TITULUS XXIV.

TUtores, & Curatores, de quibus suprà dictum est, antequam ad Tutelam, vel curam accedant, satisdare tenentur. Et satisdatio Tutorum, vel Curatorum est cautio, quæ fit datis fidejussoribus rem pupilli, vel ejus, qui in Curatione est, salvam fore. Tutores tamen testamento dati, satisdare non coguntur: quia fides eorum, & diligentia ab ipso Testatore approbata est. Investigandum tamen est, an patris voluntas duraverit, aut verisimiliter durasse videri possit. Et etiam Tutores, & Curatores non rectè testamento dati, & à Magistratu confirmati, satisdare non coguntur, *l.2.& ult.ff.de confir. Tut. vel cur.* Item ex Inquisitione Tutores, vel Curatores dati, satisdatione non onerantur, quia idonei electi sunt. Videte *l. ult. §. Sed si quidem, cum §§.seq.C.de Curat.fur.*

Ad §. Sed si ex testamento.

SEd si ex testamento, vel inquisitione, duo, plurèsve tutores, vel curatores dati fuerint, potest unus offerre satisdationem, ut electionem det contutori, vel concuratori suo, utrùm velit satis accipere, & ipsi satisdanti administrationem relinquere: an satisdare, & præferri in administratione. Quod si nemo eorum satis offerat: siquidem fuerit expressum à testatore quis gerere debeat, ille solus administrabit. Quòd si non fuerit expressum, aut is, cui administratio fuit commissa, gerere nolit, quem maior pars elegerit, ipse gerere debet, & si in electione fuerint discordes, concordent tamen ut unus, vel plures eligi debeant (nàm aliàs possunt omnes gerere si velint, aut administrationem

inter

inter se dividere) Prætor eliget causa cognita quem velit, & ei administrationem committet. Et hoc idem dicendum in pluribus Tutoribus, vel Curatoribus ex Inquisitione datis, *tex.hic. l.3.§.ult.& l.4.ff. de administr.& peric.tut.*

Ad §. Sciendum autem est.

SCiendum autem est, quod non solùm Tutores, vel Curatores, & eorum heredes, itemque fidejussores, & eorum heredes, pupillis, vel eis, qui in curatione sunt, ex administratione tenentur: Sed etiam subsidiaria actio datur in eos, qui fidejussores accipere solent, & debent, si aut omninò satisdari non curaverunt, aut non idoneè passi sunt caveri. Quæ quidem actio etiam in heredes eorum extenditur. §.*Sciendum h.t.l.3.& 4.ff.de fidejuss.& nominat.&c.* Tutores autem, & Curatores prædictam satisdationem præstare nolentes, ad eam præstandam captis pignoribus coercentur. §. *Quibus constitutionibus h.t.*

Ad §. Ultimum.

NEque tamen Præfectus Urbi, neque Prætor, neque Præses Provinciæ, neque quis alius, cui tutores dandi jus est, absq; onere accipiendi fidejussores, hac subsidiaria actione tenetur: sed hi tantummodò, qui satisdationem exigere solent, & debent: *textus hic*. In Provincijs satisdationem accipiunt Magistratus Municipales, aut defensores Civitatum: In Urbe, scriba, aut is, quem Prætor in hoc delegaverit, ut ei caveretur *l. 2. & 3. ff. rem pupilli salvam fore, l. ultima C. de Magistr. convenien. & Theoph. hic.*

De Excusationibus Tutorum, vel Curatorum.

TITULUS XXV.

Tutores, & Curatores, de quibus suprà dictum est, variis ex causis ab onere tutelæ, vel curæ excusantur. Videamus ergo, quæ sint justæ causæ excusationis eorumdem.

Excusatio, de qua hic, nihil aliud est, quàm alicujus justæ causæ allegatio, ob quam non debeat quis ad Tutelam, vel curam subeundam cogi. *Mynsf.hic*. Et tunc tantùm locum habet excusatio, quando Tutelæ, vel Curæ datio valida est: Nàm si ipso jure non teneat, non est necessaria excusatio, *l.Scire etiam* 15. §. *Qui non justè ff.de excus.Tut.*

Prima excusationis causa legitima est numerus liberorum, siue hi sint in potestate, siue emancipati, vel in adoptionem dati, vel quasi emancipati: ut Monachi, Episcopi, & Patricii. Si enim tres filios, vel filias Romæ quis habeat, vel in Italia quatuor, vel quinque in Provinciis, à Tutela, vel cura potest perpetuò excusari. Sed ad hoc ut filii prosint debent esse legitimi, & naturales: Nàm legitimi tantũ, idest, arrogati, vel adoptati, non prosunt, neque prosunt naturales tantùm: Et etiam ad hoc ut prosint, debent esse jàm nati, & superstites quando quis ad tutelam, vel curam vocatur: nascituri enim, vel posteà nati, vel anteà defuncti non prosunt, neque prosunt capti ab hostibus, *l.2.C.de his, qui num. liber. lib.*10. Qui tamen in acie amittuntur, prosunt: hi enim, qui pro Republica ceciderunt, in perpetuum per gloriam viuere intelliguntur. Prosunt etiam nepotes ex filio defuncto, ita tamen ut in locum patris sui succedant: unde plures nepotes ex uno filio, pro uno tantùm computantur: nepotes verò ex filia non prosunt.

Ad §. Item Divus.

SEcunda excuſationis cauſa eſt adminiſtratio rerum fiſcalium: quandiu enim quis res fiſci adminiſtrat, à Tutela, vel cura excuſatur. Idem dicendum eſt de his, quibus Princeps negotium aliquod mandavit. Nàm & hi excuſantur quandiu id negotium gerunt, *l. geometra* 25. *ff. de excuſ. Tut.*

Ad §. Item qui Reipublicæ.

TErtia cauſa excuſationis eſt abſentia Reipublicæ cauſa, quæ pariter ad tempus excuſat, & interim curator datur à Magiſtratu. Abſens igitur Reipublicæ cauſa, à tutela, vel cura ſuſcipienda excuſatur, & etiam reverſus ab abſentia per anni ſpacium habet excuſationem à tutela, vel cura ſibi delata tempore abſentiæ, vel etiam poſt reverſionem: à jàm ſuſcepta verò excuſatur quatenus abeſt: reverſus enim recipit ſtatim onus priſtinæ tutelæ, vel curæ, nec anni habet vocationem, *l. Non ſolùm* 12. *§.* 1. *ff. de excuſat. tut. l.* 2. *C. Si tut. vel cur. Reipub. cauſa &c.*

Ad §. Et qui poteſtatem.

QUarta excuſationis cauſa eſt poteſtas aliqua. Qui enim poteſtatem aliquam habent, ut puta, Conſul, Prætor, Præſes Provinciæ, Procurator Cæſaris, imò & Magiſtratus municipalis, & quicunque juriſdictionem habent, à ſuſcipienda tutela, vel cura, ſuo durante officio, excuſantur: ſed ſuſceptam deſerere non poſſunt, *tex. hic, & ibi Cujac. l. Atleta* 8. *§. gentium ff. h. t.*

Ad

Ad §.Item propter litem.

QUinta causa excusationis est lis, quam de omnibus bonis, aùt plurima parte bonorum, vel de hereditate habet tutor, vel curator cum pupillo, vel adulto: Tunc enim à tutela, vel cura, tutor, vel curator excusari potest: secus est si lis sit de modica parte bonorum, *tex.hic, juncta l.propter litem 24.ff.h.t.* Sed jure novissimo debitor, aùt creditor pupilli, vel adulti, ejus tutor, vel curator fieri prohibetur. *Novella 72. cap.1.* Nisi sit mater, vel avia, *Novella 94.& ibi Cujac.*

Ad §.Item tria onera.

SExta excusationis causa est onus trium tutelarum, vel curationum. Tria enim onera tutelæ non adfectatæ, vel curæ quandiu administrantur, à quarta tutela, vel cura excusationem præstant. Tria autem onera sic accipienda sunt, ut non numerus personarum plures tutelas, vel curationes faciat, sed patrimoniorum separatio, & ideò plurium pupillorum tutela, vel cura eorundem bonorum, veluti fratrum, pro una computatur, *tex.hic, l.3. ff.eod.* Quandoque tamen etiam una tutela, vel cura ad excusationem sufficit, videlicèt si tam diffusa, & negotiosa sit, vt pro pluribus cedat, *l.Si is qui 34.§.ceterùm ff.h.t.* Item pro excusatione sufficit, vt tria onera sint in eadem domo, ideòque si pater tria onera sustineat, filius ejus non vexabitur, & è contrario, si tria onera sustineat filius, non vexabitur pater, & rursus utrisque communes tutelæ, vel curæ idest, una filij, & duæ patris, aut è converso, tam patri, quàm filio dant remissionem, *l. diximus 4. §. Si pater, & l.seq. ff. h. t.*

Ad

Ad §. Sed & propter paupertatem.

Septima causa excusationis est paupertas. Hoc tamen intelligendum est de illo, qui sic laboribus est implicatus propter paupertatem, ut non possit tutelæ, vel curæ superesse: cùm fortè habeat necesse tota die operari, ut viuat. Et hæc paupertas arbitrio Judicis regulariter distinguitur, attenta qualitate personarum, & quantitate patrimoniorum.

Ad §. Item propter aduersam.

Octava excusationis causa est adversa valetudo: propter adversam enim valetudinem, propter quam nec suis quidem negotiis quis interesse potest, a tutela, vel cura, tam suscipienda, quam sucepta excusatur, *tex. hic, l. nonsolùm* 12. §. *vlt. juncta l.* 13. *ff. eod.* Et propter hanc causam excusatur tutor, seù curator, vel ad tempus, vel in perpetuum, prout valetudo, qua afficitur, vel ad tempus, vel perpetua est, *l. Idem Vlpianus* 14. *ff. h. t.*

Ad §. Similiter eum.

Nona Excusationis causa est inscitia literarum. Est tamen animadvertendum, quod eorum, qui literarum sunt imperiti, si ad administrationem negotiorum sufficiẽtes sunt, excusatio accipi nõ debet, *l. Athleta* 8. §. *ult. ff. eod.*

Ad §. Item si propter inimicitias.

Decima excusationis causa est si tutor propter inimicitias datus sit. Si enim pater testamento ideò inimicum tutorem dederit, ut molestum ei, & operosum negotium exhiberet, potest hac de causa, qui tutor datus est, à tutela se excusare. Qui verò se tutelam administraturos patri pupillorum promiserunt: omnem excusandi causam, si quam

ſi quam habent, amittunt, *tex.hic*, *l. Spadonem* 17. §. *Qui patri ff.h.t.*

Ad §. Non eſſe autem.

NOn eſt autem excuſandus ille, qui hac ſola utitur excuſatione, quod patri pupillorum, à quo tutor datus eſt, fuerit ignotus. Quamvis enim quis vultu, vel familiaritate alicui ſit ignotus, fama tamen ei notus eſſe poteſt. Et ità notum fuiſſe tutorem teſtatori in caſu hujus §. ſupponendum eſt.

Ad §. Inimícitiæ.

UNdecima cauſa excuſationis ſunt inimicitiæ capitales, non reconciliatæ, quas quis cum patre pupillorum, vel adultorum exercuit: à qualibet enim tutela, vel cura tales inimicitiæ excuſationem præſtant. Qui tamen poſt ſuſceptas inimicitias, teſtamento tutor datus eſt, ſe excuſare non poteſt: quandoquidem hoc ipſo gratię videtur facta reconciliatio. Quod tamen debet intelligi de inimicitiis, quas tutor concitavit. Si pater concitavit inimicitias, indiſtinctè dicimus tutorem excuſari. Et capitalis inimicitia Judicis arbitrio diſcutienda relinquitur.

Ad §. Item is, qui ſtatus.

DUodecima Excuſationis cauſa eſt Controverſia Status Tutori à patre pupillorum illata. Si quis enim mihi ſtatus controverſiam fecerit, aſſerens me eſſe ſervum, aùt libertum, à liberorum ejus tutela juſtàm excuſationem habeo.

Ad

Ad §. Item maior.

DEcimatertia Executionis causa est Senectus. Major enim 70. annis à tutela, vel cura excusare se potest. Minores autem 25. annis ab omni tutela vel cura adeò excluduntur, ut nec excusatione indigeant, *tex. hic, & suprà de fiduc. tut. in fine*.

Ad §. Idem & in milite.

DEcimaquarta Excusationis causa est militia. Propter militiam tamen excusatio propriè locum habet in Veterano. Nàm aliàs milites excusatione non indigent, cùm nec volentes ad tutelæ, vel curæ onus admittantur.

Ad §. Item Romæ.

DEcimaquinta Executionis causa est certarum artium professio. Qui enim Romæ, vel in patria sua grammaticam, rhetoricam, vel medicinam profitentur, & intra statutum numerum sunt, à Tutela, vel cura habent vacationem, *tex. hic*, *l. Si duas 6. §. 1. ff. h. t.* Valde tamen disciplinis instructi, & si supra numerum, & in aliena patria moram faciant, immunes sunt, *l. 7. §. ampliùs ff. h. t.* Legum verò præceptores à tutela, vel cura non habent remissionem, nisi Romæ doceant, *dicta l. 7. in fin.* Aùt in aliquo probato Gymnasiò secundum DD. hic, vel nisi in Consilium Principis sint assumpti, *l. Jurisperitos 33. ff. h. t.*

Ad §. Qui autem vult.

TUtores autem, vel curatores, qui excusare se volunt, qualitercunque dati fuerint, à muneris impositione non appellant: sed intra quinquaginta dies continuos, ex

quo cognoverunt se esse tutores, vel curatores datos, debent excusationes suas coram Judice proponere, si in ipso loco sunt ubi tutores, vel curatores dati fuerunt, vel intra centesimum lapidem ab eo. Si verò ultra centesimum lapidem habitant, pro singulis 20. milliaribus habent dies singulos, quibus deinde 30. adjiciuntur ad excusationis causam proponendam, ità ut major numerus 50. dierum, non minor competere possit. *tex. hic, l. scire etiam, 15. ff. h. t.* Imò si tutor plures habeat excusationes, & quædam, quas proposuit, improbatæ sint, aliis uti intra tempora constituta non prohibetur. *tex. in princ. huius §.*

Ad §. Datus autem.

DEcima sexta Excusationis causa est pupilli patrimonium latè diffusum. Licèt enim datus tutor intelligatur datus ad universum pupilli patrimonium, etiamsi omnia pupilli bona, vel pars eorum sit extra territorium ubi fuit tutor datus, tamen excusare se potest, ne ultra centesimum lapidem tutelam gerat: nisi in eadem provincia patrimonium pupilli sit, *tex. hic, juncta l. propter litem 24. §. licèt ff. h. t.*

Ad §. Qui tutelam.

DEcimaseptima excusationis causa est, quod qui tutelam alicujus gessit, invitus curator ejusdem fieri non compellitur. Et licèt quis à patrefamilias, non solùm tutor, sed etiam curator datus fuerit, tamen invitus curationem suscipere non est cogendus.

Ad § Jidem rescripserunt.

ULtima excusationis causa est, quod maritus potest se excusare à curatione uxoris suæ, licèt se administrationi immiscuerit. Impropriè tamen hæc dicitur excusatio, nàm etiamsi vellet curator esse non posset, *l. 2. C. Qui dare*

tutores

tutores &c. Et hæc intelligenda sunt in bonis receptitiis uxoris, hoc est, in bonis illis, quorum dominium in danda dote sibi uxor recepit, ac resservavit, *l. Si ego* 10. *§. 2. ff. de jur. dot.* Nàm in Dote habet maritus dominium, & disponit, & agit, & convenitur tamquam dominus, *l. doce ancillam* 9. *C. de rei vindic.* & in rebus superdotalibus, quæ paraphernæ dicuntur, legitimam habet administrationem, ità ut sine uxoris mandato, & agere, & conveniri possit, *l. ult. & ibi DD. C. de pact. convent.*

Ad §. Ultimum.

SI quis autem falsis allegationibus excusationem tutelæ, seù curæ meruit, non est liberatus onere tutelæ, vel curæ, sed exinde ad eum periculum administrationis pertinet, ex quo datus est, *tex. hic, l. 1. & ult. C. Si tutor, vel curat. fals. alleg. &c.*

De Suspectis Tutoribus, vel Curatoribus.

TITULUS XXVI.

SUpra dictum est de excusationibus, quibus tutores, vel curatores ab onere tutelæ, vel curæ volentes liberantur. Sed quia hi quandoque tamquam suspecti à tutelà, vel cura inviti removentur: meritò hic de suspectis tutoribus, vel curatoribus subjungitur.

Suscepti accusatio ex lege duodecim Tab. descendit. Datum est autem jus removendi tutores suspectos Romæ Prætori, & in Provincijs Præsidibus earum, & appellatione Præsidum veniunt etiam Proconsules, & omnes alii Provincias regantes, *l. 1. ff. de offic. Præsid.* Et idem jus datum est legato Proconsulis, & ei, cui Prætor jurisdictionem mandavit, *l. 1. §. Damus ff. h. t.* Et generaliter videtur dicendum,

quod possint tutores susceptos removere hi omnes, quibus dandi tutoris jus est, *l. nihil tam naturale ff. de reg. jur.*

Ad §. Ostendimus.

POssunt autem fieri suspecti omnes tutores. Propinqui tamen, affines, & patroni, non facilè removendi sunt, sed potiùs curatores eis sunt adjungendi, *l. Si tutor 9. ff. de suspect. tut. & cur.* Et hæc quæ de Tutoribus dicta sunt, servantur etiam in curatoribus.

Ad §. Consequens est.

EST autem suspecti accusatio quasi publica, hoc est, omnibus patet. Mulieres etiam ad eam admittuntur: sed eæ solæ, quæ pietate necessitudinis ductæ, ad hoc procedunt: ut puta mater, nutrix, avia, & etiam soror. Sed & si qua alia mulier fuerit, quam prætor pietate adductam intellexerit ad acccusationem venire, admittet eam. Impuberes tamen tutores suos suspectos postulare non possunt: Puberes autem curatores suos ex consilio necessariorum, suspectos possunt arguere. Quod si necessariæ personæ hac in re adulto repugnent, potest ipse Judicis officium implorare.

Ad §. Suspectus autem est.

SUspectus autem est, qui non ex fide Tutelam, vel Curam gerit, licèt solvendo sit. Sed & antequàm gerere quis incipiat, quasi suspectus removeri potest. Quia fortè in alia tutela, vel cura fradulenter versatus est, vel quia moribus sit talis, ut non ex fide gesturus videatur tutelam, vel curam suscipiendam, *tex. hic juncta l. 3. §. Si autem, & l. 8. ff. eod.*

Ad

Ad §. Suſpectus autem remotus.

SUſpectus autem remotus, ſi quidem ob dolum, infamis efficitur: Secus, ſi ob culpam. Dummodò tamen culpa, dolum non habeat admixtum, ſed ex ſola imperitia, ſeu negligentia proveniat. *Vide in meis Comment. Inſtit. hoc eodem loco.*

Ad §. Si quis autem ſuſpectus.

ILli autem, qui de ſuſpecto accuſatus eſt, donec cognitio finiatur, à Prætore, vel Præſide adminiſtratio interdicitur, & alius interim in locum ejus in adminiſtratione rerum ordinatur, *tex. hic*, *l. Eum, quem 7. C. h. t.* Imò, & hac interdictione omiſſa, ipſo jure adminiſtratio accuſato interim interdita videtur: Unde illi ſcienter ſoluens, non rectè ſolvit, *l. quod ſi fortè* 14. §. 1. *ff. de ſolut.* Sed ſi pendente ſuſpecti cognitione deceſſerit accuſatus, extinguitur ſuſpecti cognitio. Idem juris eſt, ſi quovis alio modo fuerit finita tutela, vel cura, *l. poſt finitam* 11. *ff. eod.* Nàm cùm hujus judicij finis ſit, ut tutor, vel curator removeatur: finita tutela, vel cura, non eſt opus ſuſpecti actionem peragere.

Ad §. Si quis tutor.

SI quis tutor copiam ſui non faciat, ut alimenta pupillo decernantur, poterit ut ſuſpectus removeri, & pupillus, ut habeat unde damna repoſat, ſi quæ fortè paſſus fuerit, quia non fuerunt ei alimenta aſſignata, in poſſeſsionem bonorum tutoris mittitur, & quæ mora deteriora futura ſunt ex eis, dato curatore, diſtrahi jubentur *tex. & Mynſ. hic ſub num.* 2. Quod ſi tutor ſui copiam faciat, & per mendacium neget propter inopiam alimenta pupillo poſſe decerni, ad præfectum Urbi remittitur puniendus. Idem dicendum eſt de eo, qui data pecunia tutelam redemit, & de liberto, qui frau-

fraudulenter tutelam filiorum, vel nepotum patroni gessisse probetur.

Ad §. Novissimè, juncto §. Ult.

QUi autem fraudulenter tutelam, vel curam administrant, etiam si iàm satisdederint, vel satis offerant, rem pupilli, vel adolescentis salvam fore, nihilominùs removendi sunt. Mali enim mores Tutorem, vel Curatorem suspectum faciunt: & satisdatio malevolum tutoris, vel curatoris propositum non mutat, sed diutiùs grassandi in re familiari facultatem præstat. Paupertas verò Tutorem, vel curatorem suspectum non facit: ideòque pauper fidelis, & diligens, non est removendus, *tex. hic, l. 5. 6. & 8. ff. h. t. l. in postulandis 5. & l. seq. C. eodem.*

Finis Libri Primi Institutionum.

ROMÆ,

Typis Ioannis Francisci de Buagnis. MDCXCVI.

SVPERIORVM PERMISSV.

Imprimatur,

Si videbitur Reuerendissimo Patri Magistro Sacr.Pal.Apost.

Sperellus Episcopus Inter.Vicesg.

Imprimatur.

Fr.Ioseph Maria Berti Reuerendissimi Patris Fratris Paulini Bernardinij Sacr.Apost.Pal. Mag. Socius Ordinis Prædicatorum.